

ratione, ubi major deliberatio adhibetur, tali forma in jurando utimur.

Sancta Synodus decrevit &c. Ratio institutionis fuit, quia ad juramentum requiritur summa caute-

la, quæ exigit sobrietatem. Excipiuntur tamen casus illi in quibus mora (1) protraheret periculum, sicut est pro pace facienda.

DISTINCTIO XL.

De sexto, & septimo præcepto secundæ tabulæ.

Sextum præceptum est: „Non desiderabis uxorem proximi tui. Septimum: Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam &c.“ Sed videtur præceptum de non concupiscendis rebus proximi unum cum eo esse quo dicitur: „Non furaberis:“ & præceptum de non concupiscenda uxore unum esse cum eo quo dicitur: „Non concupisces uxorem proximi tui“ ex August. quæst. lxxi. sup. Exod. Sed in illis duobus præceptis non mœchandi, & non furandi, ipsa opera notata sunt, & prohibita; in his vero extremis ipsa concupiscentia. Multum ergo differunt illa ab istis. Unde illi præcepto non mœchandi fit superadditio in Evangelio, ubi omnis concupiscentia mœchandi prohibetur.

Quare lex comprimere dicitur non animum, sed manum.

SED cum hic prohibetur concupiscentia alienæ uxoris, & alienæ rei, quare dicitur lex comprimere manum, & non animum; Evangelium vero & manum, & animum? Illud de lege dicitur secundum caeremonialia, non secundum moralia; vel quia in lege non est generalis prohibitio omnis mortiferæ concupiscentiæ, ut in Evangelio.

Quid sit littera occidens.

SI vero quæritur, quam vocat Apostolus litteram occidentem; ea certe est decalogus, qui non dicitur prævaricationem, nisi liberet gratia; quæ gratia non sic abundabat in lege ut in Evangelio. Lex ergo bona est, & tamen occidit sine gratia, cum sit virtus peccati quæ jubet quod sine gratia impleri non potest. Gratia autem deerat, & ideo littera occidens erat. Distat autem Evangelii littera, à legis littera, quia diversa sunt promissa: ibi terrena, hic cœlestia promittit. Diversa etiam sacramenta: quia illa tantum significabant; hæc conferunt gratiam. Præcepta etiam diversa sunt quantum ad caeremonialia: nam quantum ad moralia sunt eadem, sed plenius in Evangelio continentur.

(2) Audistis decem chordas psalterii utriusque sexui impositas, quæ charitate rangendæ sunt, ut vitiorum feræ occidantur.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de præceptis decalogi quæ respiciunt opus exterius, & locutionem, hic ponit duo ultima præcepta, quæ respiciunt concupiscentiam cordis; & circa hoc tria facit. Primo enumerat ipsa præcepta. Secundo movet quæstiones circa ea, ibi: *Sed videtur præceptum de non concupiscendis rebus proximi unum cum eo esse quo dicitur: Non furaberis.* Tertio recapitulat quod dixerat, & continuat se ad sequentia, ibi: *Audistis decem chordas psalterii.* Circa secundam partem movet duas quæstiones. Prima est de differentia horum præceptorum ad alia præcepta decalogi. Secunda est de differentia totius veteris legis ad novam, quæ ex solutione primæ quæstionis ortum habet: & hoc ponitur, ibi: *Sed cum hic prohibetur concupiscentia alienæ uxoris, & alienæ rei; quare dicitur lex comprimere manum, & non animum?* Et circa hoc tria facit. Primo movet quæstionem, & eam solvit. Secundo movet quæstionem de effectu litteræ veteris legis, ibi: *Si vero quæritur quam vocat Apostolus litteram occidentem; ea certe est decalogus.* Tertio breviter colligit differentiam in litteram Evangelii, & litteram legis, ibi: *Distat autem Evangelii littera à legis littera, quia diversa sunt promissa.*

(1) Nicolai traheret. (2) Appendicem sequentem cum ejus expositione separatim ponit Nicolai post omnes articulos cum his titulis. Epilogus tertii Libri. Expositio epilogi.

QUESTIO I.

HIC quærentur quatuor.

Primo. De assignatione istorum præceptorum.

Secundo. Utrum verum sit quod lex Moysi tantum manum cohibuerit.

Tertio. Utrum eadem lex justificaret, vel occideret.

Quarto. Utrum æterna promitteret, vel terrena.

ARTICULUS I.

Utrum duo præcepta de concupiscentia convenienter assignentur.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod hæc duo præcepta inconvenienter assignentur. Præcepta enim negativa ordinantur ad prohibitionem peccatorum. Sed unum est peccatum cordis, & operis, sicut in II. Lib. quæst. 1. art. 1. dist. xlii. dictum est. Ergo non debuit alio præcepto prohiberi concupiscentia mœchandi, vel furandi, quam ipsa mœchia, vel furtum.

2. Præterea. Sicut in furto, & mœchia contingit peccare corde, & opere; ita & in homicidio, & aliis peccatis. Sed alia præcepta non variantur per con-

cupiscentiam, & opus, neque affirmativa, neque negativa. Ergo neque præceptum de furto, & de mœchia debuit hoc modo variari.

3. Præterea. Nihil debet lege prohiberi quod licite fieri potest. Sed licite potest fieri quod aliquis domum proximi sui possideat, ut si emat eam. Ergo licite potest eam concupiscere. Ergo talis concupiscentia non debuit lege prohiberi.

4. Præterea. Sicut contingit peccare in concupiscentia rerum proximi, ita etiam in concupiscentia curiositatis, quam Augustinus dicit esse concupiscentiam oculorum, in Libro de vera Religione cap. xxxviii. & similiter in concupiscentia dignitatum, & hujusmodi, circa quas etiam concupiscentias sunt diversæ virtutes, & vitia. Sed præcepta dantur ad inducendum homines ad virtutem, (1) & à vitiorum prohibitionem. Ergo de omnibus istis concupiscentiis debuerunt diversa præcepta dari.

5. Præterea. Omne quod est contrarium præcepto, est peccatum mortale. Sed primi motus qui ex corrupta concupiscentia procedunt, non sunt peccata mortalia. Ergo non debuit dari præceptum de non concupiscendo.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod intentio legis est ut homines ad virtutem inducantur. Ad virtutem autem non sufficit ut actus virtutis qualitercumque fiat, sed oportet ut homo sciens & volens, & propter debitum finem perseveranter, & delectabiliter operetur. Similiter etiam non sufficit quod actus contrarius qualitercumque præmittatur, nisi etiam voluntas illud faciendi derelinquatur, & passiones inclinantes ad actum illicitum ordinentur. Et ideo in præceptis decalogi non debuit solum prohiberi actus illicitus, sed etiam concupiscentia illicitarum rerum.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum cordis, & operis, sicut ibidem dictum est, quando conjunguntur, sunt unum peccatum. Sed quia quandoque in corde peccatur non perveniendo ad actum, tunc peccatum cordis à peccato exterioris operis distinguitur: & ideo etiam diverso præcepto prohibetur.

Ad secundum dicendum, quod præcepta affirmativa præcipiunt aliquem actum bonum: bonum autem consurgit ex diversis coadunatis ad perfectionem suam, quod est ex una, & tota causa, ut dicit Dionysius de divin. Nom. cap. iv. & ideo hoc ipso quod aliquis bonus actus præcipitur, omnes conditiones implicantur quæ ad bonitatem requiruntur. Et ideo præcepta affirmativa non fuerunt distincta circa idem genus per præceptum operis, & cordis. Peccatum autem quod præcepto negativo prohibetur, contingit omnifariam ex singularibus defectibus, ut Dionysius ibid. dicit: & ideo ad diversa quæ possunt peccatum inducere, possunt diversa præcepta ordinari. Ideo tamen potius peccatum furti, & mœchiæ hoc modo variatur per diversa præcepta, quam homicidium, vel alia peccata, quia bonum inquantum in se est, movet concupiscentiam: objectum autem furti, & mœchiæ est aliquod bonum temporale: unde etiam per se concupiscentia horum sine progressu ad actum, habet quamdam delectationem; quod non contingit in homicidio, cujus objectum est nocumentum illarum proximo, quod de se horrorem potius quam delectationem facit.

(1) Forte, & ad vitiorum prohibitionem.

Ad tertium dicendum, quod non potest licite considerari domus proximi, nisi dominio translato in alterum, & tunc desinit esse proximi: & ideo non simpliciter prohibetur concupiscentia domus, sed concupiscentia domus proximi, cum ipsam concupiscentiæ nomen, quia intensionem desiderii dicit, in quamdam superfluitatem sonare videatur, & ita in malum.

Ad quartum dicendum, quod concupiscentia curiositatis, quæ fit per oculos, reducit ad concupiscentiam delectationis carnis, ad quam etiam reducuntur delectationes aliorum sensuum sicut ad principales. Concupiscentia autem honoris, dignitatis, vel hujusmodi, reducit ad concupiscentiam temporalium bonorum, quorum dignitas numismate mensatur. Et sic patet quod omnis concupiscentia aliquo modo istis duobus mandatis prohibetur, secundum regulam superius de intellectu præceptorum datam.

Ad quintum dicendum, quod lex non datur nisi rationem habenti: unde illa concupiscentia tantum directe præcepto legis prohibetur quæ ad rationis consensum pertingit, quæ peccatum mortale est. Concupiscentia autem quæ est in primis motibus, non est contra legem, sed præter legem; & ideo peccatum veniale est.

ARTICULUS II.

Utrum lex Mosaica cohibeat tantum manum, an etiam animum.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod lex Mosaica non solum manum, sed etiam animum cohibere debeat. Eiusdem enim est animum ordinare ad virtutem, & cohibere à peccato. Sed lex Mosaica ordinat animum ad virtutem, ut patet Deut. vi. 5. *Diligis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ergo & ipsa etiam cohibet animum à peccato.

2. Præterea. Concupiscentia in anima est. Sed lex vetus cohibet à concupiscentia, ut patet in his duobus præceptis. Ergo cohibet animum à peccato.

3. Si dicatur, quod non cohibeat ab omni concupiscentia; contra. Sub his duobus præceptis, ut dictum est, omnis concupiscentia prohibetur. Sed hæc duo præcepta in veteri lege edita sunt. Ergo totaliter animum à peccato cohibebat.

4. Si dicatur, quod hoc intelligitur quoad caeremonialia; contra. Caeremonialia enim legis non præcipiebant ab aliquo peccato abstinere, sed potius quid in figura esset faciendum. Ergo non magis manum quam animum cohibebant.

5. Præterea. Lex Moysi perfectior erat quam lex civilis. Sed lex civilis non tantum cohibet manum, sed etiam animum; alias ad virtutem non induceret, quæ principaliter in animo consistit. Ergo lex Mosaica non tantum cohibet manum, sed animum.

Sed contra. Lex nova est perfectior quam lex vetus. Sed nihil potest esse perfectius quam cohibitio animi, & manus. Ergo in lege veteri non cohibebatur utrumque.

Præterea. Matth. v. Dominus supra præcepta legis, quæ ad factum exterius pertinent, sicut de homicidio, facit additionem de interiori actu peccati, sicut de ira: quod non esset, si lex vetus animum cohiberet. Ergo lex vetus animum non cohibebat.

Præ-

Præterea. Nihil cohibet animum nisi gratia. Sed vetus lex gratiam non conferebat. Ergo animum non cohibebat.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod coactio legis secundum Philosophum in fine Ethic. ad hoc necessaria est, ut illi qui persuasionibus ad bonum non inclinantur, per poenas cogantur: unde cohibitio legis se extendit quantum poena inflictæ per legem. Sicut autem lex vetus infirmis animis non nisi terrena promittebat, ita etiam pro peccatis temporalem poenam infligebat, oculo pro oculo, dentem pro dente. Poenæ autem temporales pro peccatis animi infligi non possunt, nisi quatenus (1) in actum exteriorem prorumpunt: alias enim ab homine de eis iudicari non potest: & ideo lex vetus manum, & non animum cohibere dicebatur. Lex autem nova æterna promittit, & comminatur, in præmium, & poenam; æterna autem poena ab illo iudice infligitur qui est cordis scrutator: & ideo non solum manum, sed etiam animum cohibet: quod patet in hoc præcepto: *Non occides*; pro cuius transgressione lex vetus hominem occidebat; sed pro ira interiori lex nova poenam æternam comminatur: *qui enim irascitur fratri suo, reus erit* (2) concilio: Matth. v. 22.

Ad primum ergo dicendum, quod lex præceptis affirmativis, & negativis animum ordinabat ad virtutem, & à vitio retrahebat: non tamen contra transgressores huiusmodi præceptorum poenam aliquam ordinare poterat, secundum quam cohibere, vel cogere dicitur: & ideo non sequitur quod animum cohiberet.

Et per hoc patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod omnem concupiscentiam quantum ad genus suum lex prohibebat; non tamen ab omni cohibebat per poenas, sed solum ab ea quæ prorumpbat in actum.

Ad quartum dicendum, quod ceremonialia præcepta indicebant sacrificia pro certis peccatis, non autem ita pro peccatis cordis, sicut pro peccatis operis; & ita ceremonialia magis manum, quam animum cohibebant.

Ad quintum dicendum, quod lex civilis quamvis intendat per cohibitionem poenarum ad virtutes inducere, non tamen cogit per poenas animum, sed solum manum.

ARTICULUS III.

Utrum lex vetus justificabat.

1. 2. quæst. c. art. 12.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod lex vetus justificabat, & non occidebat. Matth. xxi. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: & loquitur de mandatis decalogi, sicut ibidem patet. Sed nullus ad vitam ingreditur nisi justificatus. Ergo lex vetus justificabat.

2. Præterea. Lex est iustitiæ quædam doctrina: quia est ars æqui, & boni. Ergo non potest justificare nisi docendo iustitiam. Sed lex vetus iustitiam docebat: nam *concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupisces*: Rom. vii. 7. Ergo lex vetus justificabat.

3. Præterea. Omne quod removet dispositiones, & causas mortis, non occidit, sed justificat. Lex

(1) Al. in actu ex timore prorumpunt. (2) Vulgata iudicio. (3) Al. hic & infra. per occisionem. (4) Nicolai in operibus.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Ex Augustino sumpta super illud simile ad Galat. 111. *Qui fecerit ea, vivet in illis*: & ex eodem tract. Beda super eundem locum ad Romanos.

vetus hoc faciebat, peccatum prohibendo. Ergo &c.

4. Præterea. In naturis ita contingit, quod unumquodque ut fit frequenter, ita natum est fieri, ut dicitur in II. Physic. text. lxxvii. Si ergo lex vetus occidebat ut frequenter, tunc ad hoc nata erat. Sed omne quod naturam habet ordinatam ad occisionem, est malum. Ergo lex vetus fuisset mala; quod falsum est.

5. Præterea. Mors non sequebatur ex veteri lege, nisi (2) per occasionem. Sed etiam ex lege nova sequitur mors per occasionem: II. Corinth. 11. 16. *Aliis sumus odor mortis in mortem*. Sed propter hoc lex nova non dicitur occidens. Ergo nec lex vetus occidens, sed justificans debet dici.

Sed contra. II. Corinth. 111. 6. *Littera occidit, spiritus autem vivificat*: & loquitur de littera veteris legis. Ergo lex vetus non justificabat.

Præterea. Rom. x. 5. *Iustitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea*. Glossa: (a) „ Qui (3) operibus legis justificatur, temporalem habet mercedem, non apud Deum. “ Sed vera iustitia est quæ habet mercedem apud Deum. Ergo lex vetus non justificabat.

Præterea. Qui justificatur ex operibus, non justificatur gratis. Sed justificatio legis non potest esse nisi pro opere. Cum ergo vera justificatio sit gratis, ut patet Rom. 111. videtur quod lex non justificaret.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod lex quodammodo justificabat, & quodammodo occidebat. Ad cuius intellectum sciendum est, quod justificare dupliciter hic potest accipi. Uno modo iustitiam facere; alio modo iustitiam docere. Iustitia autem est duplex: quædam acquisita; quædam infusa. Iustitia acquisita ex operibus causatur: & per hunc modum lex civilis homines justos facit, in quantum per exercitium operum, habitum iustitiæ in observatoribus causat: & per hunc modum etiam lex Mosaica justificare poterat, iustitiam acquisitam causando. Sed de hac iustitia nihil ad præsens. Iustitia autem infusa à solo Deo effective est: unde lex per opera eam inducere non potest, sed per legem novam talis inducitur iustitia, quia per sacramenta ejus gratia confertur, quæ justificat formaliter. Sacramenta vero veteris legis gratiam non conferebant, ut in IV. Lib. distinct. 1. q. 1. art. 5. quæstiunc. 1. dicitur: & ideo lex vetus nullo modo justificabat quasi iustitiam causans; sed quasi iustitiam docens: quia in observatione mandatorum ejus, forma iustitiæ consistit. Occidere occidant autem legis littera dicitur & quantum ad moralia, & quantum ad ceremonialia; sed differenter. Quia quantum ad ceremonialia, per se loquendo: tempore enim gratiæ revelatæ cœperunt esse mortifera. Sed quantum ad moralia non, nisi accidentaliter, in quantum ex ipsa lege peccatum prohibente, & auxilium gratiæ contra ipsum non ferente, infirmus periculum mortis sumebat tripliciter. Primo quia ex hoc ipso quod peccati commemorationem faciebat ei, in quo concupiscentia peccati extincta non erat, magis in ipsum exardescere, sicut cum aqua ostenditur sipienti. Secundo quia ex hoc ipso quod prohibebatur, ponebatur quasi in quodam alto, & difficili ad habendum; & ideo mens humana peccato subiecta, vehementius in illud tendebat, sicut scriptum est Prob.

ix. 17. *Aquæ furtivæ dulciores sunt*. Tertio quia lex prohibens, peccati specialem reatum addebat, in quantum non solum naturalem legem transgrediebatur, sed etiam legis scriptæ prævaricator erat.

Ad primum ergo dicendum, quod observatio mandatorum legis necessaria est ad vitam æternam consequendam, quia sine ea ad vitam æternam intrare non potest qui tempus habet operandi; non tamen observatio mandatorum legis ad vitam consequendam sufficiebat, nisi modus charitatis adungeretur, quam lex nullo modo causare poterat: & ideo non perfecte justificabat.

Ad secundum dicendum, quod docere iustitiam, non est iustitiam facere perfecte, sed solum dispositive. Invenitur (1) autem aliqua lex, scilicet lex nova, quæ iustitiam facit effective per sacramenta, quæ gratiam conferunt.

Ad tertium dicendum, quod per hoc probatur quod lex non occidebat per se loquendo, sed dispositive justificabat.

Ad quartum dicendum, quod ratio sequeretur, si causa mortis esset ex lege; non autem erat ex ea, immo potius ad contrarium ordinata erat; sed causa mortis erat ex peccato eorum quibus lex dabatur; sicut causa mortis non est ex sole, si febricitantes ad solem stantes moriuntur.

Ad quintum dicendum, quod in lege nova non est aliquis defectus quin justificare possit, sicut erat in veteri lege: & ideo magis poterat accipi occasio mortis ex veteri lege quam nova. Ex nova enim lege non sequitur occasio mortis nisi contemnentibus ipsam, quia volentibus observare, auxilium præbet; sed lex vetus etiam volentibus observare, & deficientibus propter infirmitatem, occasio mortis erat.

ARTICULUS VI.

Utrum lex vetus promittebat tantum temporalia, vel etiam æterna.

1. 2. quæst. xcix. art. 6.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod lex vetus non solum temporalia, sed æterna promittebat. Illud enim in lege promittitur quod merces legis ponitur. Sed Deus seipsum mercedem Abraham promissit, qui est bonum æternum, ut patet Genes. xv. Ergo non solum temporalia, sed æterna promittebat.

2. Præterea. Quod promittitur in lege, est præmium virtutis. Sed præmium virtutis debet esse melius virtute. Cum igitur virtus sit melior omni mercede temporali, videtur quod lex terrena promittere non debuerit.

3. Præterea. Illud quod est contra rationem virtutis, in lege fieri non debet. Sed virtuti contrarium est, & ejus corruptivum, ut actus ejus propter bonum terrenum fiat. Ergo promissio terrenorum in lege fieri non debuit.

Sed contra. Illis solis potest homo ad bene faciendum invitari, quæ in pretio habet. Sed carnalis populus, cui lex vetus data fuit, sola bona temporalia in pretio habebat. Ergo eorum sibi promissio fieri debuit.

Præterea. I. Corinth. xv. 46. *Non prius quod spirituale, sed quod animale*. Sed lex vetus primo danda erat. Ergo non spiritualis promissio, sed temporalis in ea fieri debuit.

In III. Sent. Tom. III.

(1) Al. deest autem. (2) Vulgata: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus*.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Colligitur ex Libro contra adimantum cap. xviii.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod lex vetus non differat à nova per radicem timoris, & amoris. Differentia enim legis non attenditur ex diversitate observantium legem, sed potius è converso; cum lex sit regula, & mensura observantium ipsam. Sed facere aliquid ex timore, vel amore contingit ex diversa dispositione observantium legem. Ergo penes hoc duæ leges non distinguuntur.

2. Præterea. Nullus fructuose legem custodit, nisi qui ex amore eam observat. Sed in statu veteris legis multi fuerunt qui eam fructuose observabant, vitam æternam ex hoc promerentes. Ergo lex vetus & nova non distinguuntur per timorem, & amorem.

3. Præterea. Timor servilis, qui contra amorem dividitur, respicit poenam. Sed majoris poenæ comminatio fit in nova lege quam in veteri, ut patet Hebr. x. 29. *Quanto, inquit, putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit?* Ergo lex nova magis in timore consistit quam vetus.

In contrarium est quod Augustinus (a) de verb. Apostol. serm. xviii. dicit, quod brevis differentia legis, & Evangelii est timor, & amor.

Præterea. Rom. viiii. 15. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*: dicit Glossa: „Præcepta, in veteri lege timore servabantur.“

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod lex vetus non sit magis onerosa quam nova. Quod enim se habet ex additione ad aliud, plura continet. Sed nova addit supra veterem: Matth. v. Ergo plura continet; & ita videtur difficilior.

2. Præterea. Quanto est perfectior status virtutis, tanto majorem difficultatem habet: quia ars, & virtus circa difficile, & bonum sunt, ut dicitur in I. Ethic. cap. 11. vel 111. Sed status novæ legis est perfectior quam status veteris. Ergo lex nova est difficilior.

3. Præterea. Infirmis, & parvulis levia onera sunt imponenda. Sed illi qui erant in veteri lege, parvulis comparantur; qui autem sunt in nova, viris perfectis, ut patet Galat. 1v. Ergo lex nova est gravior quam vetus.

Sed contra est quod dicitur Matth. xi. 30. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*.

Præterea. Act. xv. 10. dicit Petrus de veteri lege: (2) *Hoc est onus quod nec nos, nec patres nostri potuerunt portare*. Ergo &c.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod secundum Dionysium in v. cap. ecclesiast. Hierarch. lex nova media est inter Ecclesiam cœlestem & statum veteris legis: & ideo æterna bona, quæ in cœlesti Ecclesia palam, & copiose exhibentur, in nova lege manifeste promittuntur, in veteri autem lege non promittebantur, nisi sub quibusdam figuris. Unde Hebr. x. 1. dicitur: *Umbram habens lex futurorum bonorum*. Et hoc propter tres causas præcipue. Primo ut ex his quæ cognoscebant, assueficerent etiam à Deo majora sperare. Secundo ut non solum cognitio, sed affectus à temporalibus ad æterna

Non tamen magis

manuduceretur. Tertio quia bona aeterna nondum statim eis poterant exhiberi, nondum soluto pretio: unde dilatio promissorum inefficacem faceret apud infirmos promissionem.

Ad primum ergo dicendum, quod ubicumque promittuntur aeterna in veteri lege, hoc est sub quadam figura, & similitudine temporalium: & secundum hoc etiam Deus se mercedem Abrahamae constituit ad litteram, quasi remuneratorem in multiplicatione seminis, & in terrae promissae collatione. Vel dicendum, quod hoc intelligitur de promissione communiter omnibus facta in veteri lege, non autem de illa quae fiebat specialiter ad aliquos perfectos viros, qui ad legem novam pertinebant.

Ad secundum dicendum, quod promissiones temporales non ponuntur in lege quasi praemia virtutum, sed quasi incitamenta quadam ad virtutem.

Ad tertium dicendum, quod sicut facere aliquid timore poenae est contra rationem perfectae virtutis, tamen ducit ad virtutem; ita etiam facere aliquid propter retributionem temporalem: & ideo sicut in lege fit comminatio poenae, ita etiam potest fieri promissio temporalis mercedis.

SOLUTIO II.

Ad secundam quaestionem dicendum, quod ex ipso modo legislationis apparet quod lex vetus est lex timoris, lex autem nova lex amoris. Lex enim nova ex ostensione divinae charitatis initium sumpsit: quia in effusione sanguinis Jesu Christi, qui fuit perfectissimae charitatis signum, novum testamentum consummatum est. Lex autem vetus in ostensione divinae potestatis, quae timorem incutit, initium sumpsit: unde & in ipsa legislatione propter fulgura, voces, & tonitrua terror audientes invasit, ut dicerent: *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur: Exod. xx. 19.* & ideo vetus lex homines praecipue inducebat per comminationem poenarum; nova vero lex per beneficia exhibita, & speranda: & hoc satis competebat statui humani generis, ut prius quasi rudis populus per timorem poenae cogere, postmodum vero per amorem in bono perficeretur: sicut enim timor est via ad amorem, ita lex vetus ad novam.

Ad primum ergo dicendum, quod ista differentia non tantum sumitur ex parte observantium legem, sed ex modo editionis legis, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod illi qui in veteri lege ex amore legem observabant, perfecti erant: unde ad legem novam pertinebant, in qua est status perfectionis.

Ad tertium dicendum, quod quamvis lex nova majora supplicia commineat, tamen comminatio suppliciorum non est principalis inductio in legem novam, sicut erat in lege veteri; sed magis promissio praemiorum, & commemoratio beneficiorum, quae ad amorem incitant: & ideo lex nova non timorem, sed amorem principalem radicem habet.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quaestionem dicendum, quod difficile, & onerosum mensuratur secundum virtutem sustinentis: aliquid enim onerosum est debili, quod fortis est leve. Et ideo de onere legis, & Evangelii possu-

(3) *Al.* veniatur. (4) *Al.* virtutis.

mus loqui dupliciter: aut quantum ad gravitatem praceptorum secundum se, aut per comparisonem ad virtutem observantium. Si primo modo; sic quantum ad numerum praepcepta veteris legis erant magis onerosa: quia lex vetus arctabat ad caeremonialia multa, & judicialia; lex autem nova ad moralia tantum; quae etiam lex naturae imperat, & in uno verbo abbreviato dilectionis Dei, & proximi concluduntur. Sed quantum ad explicationem istorum praepceptorum, sic praepcepta novae legis quodammodo sunt difficiliora: quia magis explicatur virtus praepceptorum moralium in nova lege quam veteri: & superaddit lex nova consilia, quamvis ad ea non cogat; & quaedam etiam prohibet quae lex vetus permittebat; infirmitati deferens, sicut libellum repudii, & hujusmodi. Si autem secundo modo, sic absolute lex vetus onerosior erat: tum quia auxilium gratiae non conferebat ad mandata implenda, sicut nova facit; tum quia vetus lex per modum timoris cogebat ad hoc, ad quod nova lex ex amore inducit, qui omnia levia facit.

Ad primum ergo dicendum, quod additio novae legis ad veterem vel est quantum ad consilia ad quae nova lex non obligat, vel etiam quantum ad explicationem eorum quae in veteri lege implicite habebantur: unde ex hoc non potest concludi quod lex nova sit gravior.

Ad secundum dicendum, quod virtuosus ea quae ad virtutem pertinent, delectabiliter exequitur, ut dicitur in I. Ethic. cap. ix. vel xii. & ideo virtus perfecta levius quantumcumque difficilia exequitur, quam carens virtute facilia: cui hoc ipsum triste est, quod a delectationibus illicitis absteineat.

Ad tertium dicendum, quod sicut qui tortuosa ligna dirigunt, ad partem contrariam magis deflectunt, ut sic ad rectitudinem etiam, ut dicitur in II. Ethic. cap. ix. vel xi. (3) veniant; ita tendentibus ad virtutem faciendum est, ut qui a rectitudine virtutis distorti fuerunt, magis a contrariis (4) vitiis abstrahantur. Et propter hoc etiam poenitentibus graviora onera imponuntur quam innocentibus. Et ita etiam carnali populo, & cervicoso majora opera imponenda fuerunt ad ejus duritiam edomandam, cum tamen modum ejus non excederent, sicut etiam infirmi diata arctior, & pueris disciplina strictior imponitur.

EXPOSITIO TEXTUS.

NON ancillam etc. Siendum, quod ancilla dupliciter concupisci potest. Uno modo ad concubitum, & sic pertinet ad sextum praepceptum; alio modo ad dominium, & sic pertinet ad septimum.

Audistis decem chordas psalterii. Per decem chordas psalterii decem praepcepta legis intelliguntur. Sicut enim David egregius psaltes sono citharae, & psalterii spiritum malum a Saul expellebat, ut dicitur I. Reg. xvi. & ursum, & leonem interfecit, ut dicitur in eodem xvii. ita Christus, qui per David significatur, corda nostra quasi psalterium his decem praepceptis percutiens, omnium mortalium peccatorum feras in nobis occidit, & virtutes perficit, quibus ad vitam pervenitur aeternam, in qua cum Christo vivamus per omnia saecula saeculorum. Amen.

FINIS.

